



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Isagoge Ad Amorem Divinvm

Pennequin, Pierre

Antverpiae, 1661

16. Animi perfectio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47132)

in nos defigens, ex nostris certaminibus voluptatem capit, optatque nobis victoriã, ut habeat, quos coronet? quod ipsum alios martyres ad fortiter agendum exstimulans ingeminat.

In Epist. ad Rom. hom. 17. S. Chrysostomus eodem ad nos animandos utitur argumento: Servus, inquit, ad oculos Domini sui respicit, mercenarius ad operis sui Dominum præmia illi daturum: ita nos monet, ut ad Deum respiciamus; quia theatrum nostrum habemus in caelo constitutum; & athleta ubi certat, ibi probari cupit; nos verò in superioribus, ideoque pro illis certemus.

Hom. 2. Homines, ut ait alibi, suo affectu nihil nobis emolumenti adferre possunt. Sed tantum inspicere, quæ facimus, ac inspicendo lædere, laboremque nostrum inanem reddere: *ὁ φθάλμιος δὲ οὐκ ἔστιν ὀφθαλμὸς*, hoc est servitatem ad oculos, humanum scilicet, non divinum, reprehendit Apostolus. Ex animo operamini sicut Domino servientes, & non hominibus.

Ad Colos. 3. Verus Israelita est, ait S. Ambrosius, qui Deum videt, & videri se novit à Deo, & ipsi exhibet cordis occulta, & ab eo probatur ab eo qui non potest falli, qui que simul arbiter mentis est, & facti. Talem fuisse ait S. Eusebium, qui dignus fuit spectari ab Angelis, cum luctaretur ad Chri-

sti bravium ut perveniret; cum certaret, ut in terris vitam Angelorum refelleret. Tales erant Machabæi Martyres, qui ad fratris spectaculum, qui in sartagine crudeliter torrebatur, minimè terrii; sed ad Deum omnia intuentem convertètes oculos, unà cum matre se ad moriendum fortiter hortabantur, dicentes: Dominus Deus aspiciet veritatem, & consolabitur in nobis: si enim in calis gaudium est super uno peccatore pœnitentiam agente, quanto majus erit super uno iusto pro Dei gloria fortiter dimicante? Sponsam in Canticis cum admiratione & gaudio, intuentur Angeli quasi auroram bonis operibus coruscantem, & ad instar aciei bene ordinatæ terribilem hostibus, eosque debellant: quod advertens Regius vates, ut eos similis spectaculi voluptate perfunderet: in conspectu Angelorum se Dei laudes cantaturum profitetur; hoc scilicet ad bene illas concinendas animatus spectaculo.

16. Stimulus. Animi perfectio.

56. Exemplo Machabæorum.
57. 16. Animi perfectio.

Omnia perfectionem suam amant: solus homo, teste sancto Chrysostomo, in animi sui perfectione amanda, se standaque

Ttt 3 que

que tepescere videtur: in rebus, quibus utimur, perfectiora & meliora requirimus, domum, famulos, vestes, tapetijs domum ornamus, & animam sine ornamentis, fœdam, famelicam, ulceribus, perversis affectionibus tanquam rabiosis canum morsibus laceraam relinquimus. Si quis ancillam deformem eleganter ornaret, conjugem verò singularis pulchritudinis detritis centonibus obtegeret & deformaret, eum desipere diceret: hæc tamen communis est mortalium insania.

58. *Quæ impossibilis cū nimia corporis cura,*
Impossibile est animæ perfectioni servire, nisi corporis molli-
tatem deteras. Ut enim observat idem Sanctus, animum ex ejus morbo participare necesse est. At sicut dum instrumenti musici chordæ molles, & laxæ sunt, ac minus convenienter extensæ, etiam ars depravatur, & cogitur vitio servire chordarum; sic à corporis mala habitudine multum læditur anima, multisque difficultatibus obnoxia est. Quapropter S. Basilius ad bellum amoris proprio indicendum nos hortatur, si animi perfectionem assequi cupimus: quia Deus in sui dilectione divisionem non patitur. Quantum enim rebus creatis, quæ Deus non sunt, amoris impendis; tantum Dei dilectioni detrahas necesse est. Qui statuat ex ligno format, repetitis ictibus lignum

Hcm. 46.

Ad Hebr.

In Ps. 44.

scalpendo dolat, & semper aliquid demit: qui verò penicillo imaginem depingit, colores coloribus adjicit; amoris proprio corporique prius cõvenit, posterius animæ, quæ varijs virtutum coloribus pedetentim ad Dei similitudinem conformatur; sicque in illa, quod Christus in Evangelio à suis postulat; Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.

Ad hanc excolendam accendere nos debet Animæ pulchritudo, quæ talis est præstantiæ, ut omnium cælestium corporum pulchritudinẽ excedat. Quam si gratiæ virtutumque excellentiæ expoliat, quid sub Deo ornatus, elegantiusque videri possit, non invenio, si à natura insitam illi præstantiam ita B. Ægidius, & S. Catharina Senensis sunt admirati; ut pro illa conservanda aut instauranda omnes omnino labores suscipiendos esse dicerent; quod ab homine studium adhiberi par est, ut illa ornamentis gratiarum & virtutum, ac gloriæ sempiternæ augeatur? Si ad corpus vermium pabulum comendum, colendumque tantum operæ temporisque passim impenditur; quid animæ tribuere convenit, cui corporis deformitas horrore aliquando fuit, ut historiæ produnt? Obierat aliquis in peccato mortali, & sanctorum precibus, ut illud expiaret, reditus

Ad illam nos viget debet animæ pulchritudo.

reditus ad corpus impetratus illi fuit. Dum verò illud tam deforme, horridumque intuetur, regressum ita refugere, abominarique cœpit, ut nisi Angelus urisset, & aliter fieri non posse assereret, ad id adigi non posset. Regressus in corpus, quadraginta dies sine cibo & potione consumpsit in lachrymis, ac deinde obiit. Corporis animâ destituti deformitas tanta est, ut omnibus horrorem incutiat: animâ verò pulchritudo tanta, ut Deum, ut ait S. Chrysostomus, habeat amatorem. Cur corpore deserto in hâc curas omnes non convertimus? Vellem ut hâc in re audiremus S. Franciscum Xaverium, ejusque consilium, quod Regi Lusitanæ proponi peroptabat, nos ipsi accuratè sequeremur. Ita vir ille sanctus in una Epistolarum scribit: Si Regem à meis amantissimis atque fidelissimis consilijs non abhorre arbitrarer, saluberrimum illi darem consilium: ut quotidie per quadrantem horæ divinam illam sententiam meditando percurreret.

Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animâ verò suâ detrimentum patiat: germanam hujus intelligentiam à Deo peteret cum sensu animi interiore conjunctam, & simul precationum suarum omnium vellet illam esse clausulam, Quid pro-

dest homini &c. Tempus est hûc Regi errorem eripiendi, quoniam propiùs, quàm existimat, adest hora, qua illum Rex Regû, & Dominus Dominantium, ad rationem reddendam evocaturus est. Videtur vaticinatus fuisse; quia paulò post Rex obiit.

VII. DISSERTATIO.

De quotidiano patientiæ exercitio.

Vitam habemus agendam in duplici statu; præsentis & futuro. Præsens est laborum, & patientiæ; homo natus ad laborem, & brevi vivens tempore repletur multis miserijs: nascendo matri dolores aggerimus, ipsimet plorando in patientiæ palæstram ingredimur. Christus ipse ab instanti conceptionis omnia hominum peccata distinctè cognoscens, vitam tot doloribus exercitam exorsus est; ut si ejus dolores in singulos mortales partiatim distribueret, non esset qui non magnitudine afflictionis vitam amitteret; ut divinæ potentiæ opus miraculo plenum extiterit, quod in vivis superstes ageret. Si Christus innocens tantorum cruciatuum catenam secum trahat, nunquam nisi ultimo vitæ anhelitu finiendam; quid aliud à nobis criminosi parentis filijs, & proprijs

I.
Hæc vita est patientiæ palæstra.

L. 1. Ep. 5.

Quam Regi Lusitanæ commenda-
vit.

S. Xaver.